

DEDICATORIA.

Fortes creatos Fortibus & Bonis ; sed sic antiqua creatio illa est, ut si primam antiquitatis laudem non habet, caruisse principiis, non deficiat secundâ, habere scilicet & nescire.

Familia sunt, quæ nesciunt se fuisse parvas; ignorant infantiam suam; latet eas cui sæculo, aut cui Terrarum loco debeant originem suam; vident se ac mirantur in Annalibus vetustissimis non aliter, quàm in honoris & laudis fastigio jamdiu constitutas. In illis Familiis habemus imaginem & similitudinem tuæ: nec ignarus testor; legenti enim mihi cum longa & curiosa libidine veteres historias Gentis vestræ Hispanicæ, quæ è bello nata, bello immoritur, quæ viros parit & nutrit armatos, occurrebant in remotioribus sæculis Majorum tuorum nomina rebus gestis illustria: hinc mihi de Genere tuo idem, quod olim Poëta de Nilo exclamatum fuit,

*Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Et te Terrarum nescit cui debeat Orbis.*

Nobilior est Nilus ille quâ parte nescitur, quàm quâ aspicitur; unde fuit qui diceret nobiliorem fore Romæ originem, si lateret. Latet